



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

19. Qualiter HLudovvicus iunior cum consensu Episcoporum Episcopatum Bremensem causâ solatij Hammaburgensi Sedi subiunxerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43650

mo viatico perciperent, iam dictus Anachorita Ardgarius ad illas partes destinatus fuerit. Verum inter hæc & superius comprehensa contigit, bonæ memoriæ HLudovicum Serenissimum Imperatorem, diuino ordinante iudicio, vitâ præsentis decessisse. Post cuius obitum cum de Regni diuisione magna fieret perturbatio, Pastoris quoque nostri aliquando labefactari cœpit Legatio. Iam dictus Pater noster hac de causa multiplicibus tunc atteri cœpit necessitatibus & angustiis, sed tamen iniunctum sibi officium nequaquam deserere voluit.

CAPVT XIX.

Qualiter HLudovicus iunior cum consensu Episcoporum Episcopatum Bremensem causâ solarij Hammaburgensi Sedi subiunxit.

Dominus quoque humilitatem eius & patientiæ fortitudinem conspiciens, quia cor Regis in manu Domini est, clementissimi Domini & Senioris nostri HLudovici Regis, qui post patrem suum huius Regni gubernacula suscepit, ad hoc animum incitauit, vt quærere inciperet, vnde ei solatium facere posset, quò Legationis suæ mandata melius adimplere posset. Erat ibi iuxta Episcopatus Bremensis Ecclesiæ, tunc desolatus Pastore, illum ei dari disposuit. Vnde in publico conuentu Episcoporum suorum cæterorumque

rorumque fidelium tractare cum eis cœpit, utrum hoc ei facere Canonica auctoritate liceret. Dominus & Pastor noster sibi periculosum esse aliquo modo formidans & ne à quibuslibet noua cupiditas reprehenderetur cautè prouidens, non facilè huic dispositioni assentiebat. Iubente itaque Rege hæc eadem res in Concilio Episcoporum ventilata est: qui multis præcedentibus exemplis probauerunt, bene posse fieri, ut quia Diœcesis illa, ad quam ipse ordinatus fuerat, totiens barbarorum incurſionibus, iam deuastata eſſet, ista ei causâ solatiij adiungeretur. Quo decreto ita ab Episcopis constituto, ipse iubente Rege Bremensem Diœcesim suscepit gubernandâ.

CAPVT XX.

Qualiter Guntharius Coloniensis Archi-Episcopus huic constitutioni restiterit, & postea consenserit, & per Salomonem Constantia Ciuitatis Episcopum ad Apostolicam Sedem directum, à Papa Nicolao hæc eadem res Apostolica auctoritate firmata sit.

PORRÒ cùm hæc agerentur, Colonia ciuitas, ad quam Bremensis Parochia suffraganea erat, eo tempore absque benedictione Episcopali degebat. Quod quia diuturnum extitit, istud etiam sine loci illius Pontificis præsentia necessariò discernendum fuit. Postea tamen consecrato ad eundem locum Venerabili Præsule Gunthario, hoc ipsum Pa-
ter &